

cedere tenetur majori, quem archiepiscopus cum alio equo non tanti valoris contentabit.

Delmenhorst. Item si adest comes in Delmenhorst, ille descendat una cum comite in Bruckhausen de equo, et teneat aliam strepam, qui post hoc petit, se infeudari cum comitia in Delmenhorst; quem archiepiscopus infeudat per pacis osculum, recipiens juramentum fidelitatis ab eodem comite, ut sup. Et ipse comes nullum tollit equum, ex quo hucusque non fuit consuetudinis. Item alia solennitas, quae ibidem in introductione archiepiscopi consuevit fieri, est ista, quod archiepiscopus potest et habet creare milites ante palatium suum hos, qui ex militari sanguine procreati sunt, et non alios. fol. 6.

Item sequenti die vadit archiepiscopus ad ecclesiam, ubi cantatur Te Deum laudamus solenniter, quo peracto vadit ad locum capitularem, ubi omnes capitulares adesse tenentur, tam residentes quam absentes per decanum Juramentum archiepiscopi. vocati, recipiente eo tunc juramentum ab archiepiscopo consuetum cum omnibus suis clausulis necessariis, et idem archiepiscopus tenetur juramentum suum literis et sigillis confirmare cum aliis duodecim sigillis authenticis vasallorum et aliarum notabilium personarum, qui vel quae fidem facient juramenti et sigillis eorum, quod archiepiscopus fideliter servare velit contenta in juramento et literis sigillatis.

Traditio castrorum. Item facta tali fide per archiepiscopum et confidejussores suos, tradent domini de capitulo sibi castra ecclesiae cum omnibus clenodiis, aureis et argenteis, cum instrumentis bellicis et cum omnibus utensilibus rebus et attinentiis secundum tenorem registorum, et archiepiscopus juret et promittat, ut in suo juramento continetur, quod non velit ea alienare neque deteriorare, sed ea semper pro posse conservare, meliorare et augmentare.

Item habita possessione castrorum, castellani, advocati et singuli habentes officia praestabunt domino archiepiscopo et capitulo fidelitatis juramentum secundum exigentiam et conditionem personarum, prout necessitas hoc exigit.

Comites de Hoya quomodo venerint ad comitatum in Bruckhausen. Item superius narrata de comite in Bruckhausen a multis annis non sunt servata, nam occiso ultimo comite de Bruckhusen in quodam conflictu juxta Zelle, comes de Hoya, qui hujusmodi conflictui intererat, captus audivit comitem in Bruckhusen occisum, mox ad comitatum sic vacantem properavit et occupavit eundem, qui comes de Hoya, tunc cum archiepiscopo